



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLVII. Sententia superioris capitis ex Scriptura, & Concilijs colligitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

causa moralis peccati, & ipsius malitiae, ut satis probatum est.

CAPVT XLVII.

Sententia superioris capitis ex Scriptura, & Conci-
liis colligitur.

^{1.} ^{Deum non} ^{determina-} ^{re ad actum} ^{peccati} ^{obediunt} ^{ex scriptura}
EX his rationibus, quibus veritatem nostrae sen-
tentiae eiusque pietatem ostendimus, colligimus
ulterius, quam sit contraria sententia aliena a mo-
do, quo Scriptura loquitur de affectu Dei erga pec-
catum, & eos, qui illud committunt. Nam de pecca-
to dicit Sapiens 14. *Odio Deo sunt impius, & impietas eius.*
Respondet hunc dictum esse de peccato, ut pec-
catum est, & de malitia eius. Et est quidem hoc ve-
rum, sed non infringit vim testimonij. Nam quo-
modo credibile est, ut qui malitiam non sinit, sed
verò, & ingenti odio prosequitur, actus ipsos, à
quibus est inseparabilis malitia, tanto amore prose-
quatur, ut absoluta voluntate primaria, & solius sui
beneplaciti ex æternitate, tot actus similes fieri, di-
sposueritque eos in tempore efficaci prae determi-
natione faciat, ut à voluntatibus humanis fiant?
Certè hoc non esset odij indicium, sed magnum ar-
gumentum amoris erga malitiam, quae tales actus
comitatur: quod ablit de Deo sentire, eodemque
modo induci possunt verba Abac. 1. *Mundi sunt oculi*
tu ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non poter.
Si enim Deus voluntate beneplaciti vult, & facit
facere actus peccatorum, approbat illos, & liben-
ter videt, ac respicit approbationis scientia, conti-
nenturque sub illis verbis: *Vidit Deus cuncta quae fecer-*
at, & erant valde bona. Qui ergo fieri potest, ut qui ita
odit malitiam, ut in illam respicere non possit, ita
approbet, scias, & velit actus, sine quibus illa mali-
tia non esset, neque ipsi possunt esse, quin illa sequa-
tur? Certè hæc duo non coherent cum prudenti
dispositione, & mundissima voluntate.

^{2.} ^{Alia loca} ^{Scripturae}
Præterea ad peccatorem dicitur Ecclesiast. 15. *Ne*
dicat per Deum abest, ille me implanavit, cuius testi-
monij priora verba in libro sequenti sæpe repetemus
ad colligendum ex illis auxilium sufficiens ex parte
Dei ad non peccandum. Unde à fortiore sumitur
argumentum: nam illa excusatio carentiae auxilij
sufficientis, si vera esset, sufficiens esset, ut ibi o-
stendimus; ergo multo magis erit iustissima excu-
satio peccatoris, si possit dicere, Deum præ deter-
minasse voluntatem suam ad actum peccati, quid
enim poterat ipse facere, ne talem determinatio-
nem reciperet, vel ne illa recepta consentiret? Item
in hac excusatione reuera includitur altera de ne-
gatione auxilij sufficientis, quia illa præ determi-
natio est efficacissima motio ad consentiendum, seu
volendum bonum delectabile, vel utile propo-
situm; ergo qui non habet auxilium ad cauendam
illam necessitatem, vel resistendum illi non potest
dici habere auxilium sufficiens ad non habendum
illum consensum, vel actum volendi, & multo mi-
nus habet potestatem ad habendum illum sine pec-
cato; ergo non habet auxilium sufficiens ad non
peccandum, præterquam quod nec ad dissentien-
dum habet necessarium auxilium, quia non habet
prædeterminationem, sine qua impossibile est ha-
bere actum dissentiendi: quod argumentum in
lib. 5. latius tractandum est.

^{3.} ^{Vigetur ide} ^{locus.}
Posteriora autem verba illius testimonij videm-
tur pro causa præ senti satis expressa, quid enim est
peccatorem implanare, nisi vel decipere, vel inducere,
ut legit Augustinus de Grat. & lib. arbitr. cap. 2.
Fr. Suarez de Gratia Pars, 11.

Utrumque actum facit Deus si ad actus, quibus ho-
mines peccant, eos prædeterminat, quia, ut osten-
dimus, si Deus præuenit voluntatem, ut velit obie-
ctum prauum, multo magis præuenit intellectum,
ut iudicet illud esse volendum, cum autem Sapiens
dicat: errant, qui operantur malum, illud iudicium
semper includit prædictam deceptionem, ergo si
Deus illam per concursum prauum imminuit, non
sine causa dicere potest peccator, ille me implanauit.
Secundò probatur, quia ille, qui impellit ad
actum cum quo peccatur, & sine quo non peccaretur,
in eundem maxime inducit, ita verò se habet
Deus erga hominem peccatorem, si illum præde-
terminat, quia prædeterminatio illa est quidam
vehemens impulsus, non solum inducens, sed
quasi etiam præcipitans peccatorem in talem ac-
tum. Cum ergo mihi homo iure non dicat, ille
me implanavit?

^{4.}
Cum ergo Sapiens talem excusationem, ut fri-
uolam reiciat, satis certè includit talem de Deo Confirma-
opinionem, quod prædeterminet homines ad ac-
tus, quibus peccata committuntur. Nam quod
Sapiens loquatur non solum de malitia actuum,
sed etiam de ipsis actibus, ratio, quam subiungit,
manifestat, dicens, *Ne dicas, ille me implanavit, non*
enim necessarij sunt illi homines impij. Qui enim alium
in peccatum inducit, non solet id facere, quia indi-
get eius malitia, sed quia necessariam sibi reputat
eius actionem, vel ad suam delectationem, vel ad
utilitatem, vel ad explendum aliud desiderium
suum. Sic ergo ait Sapiens, non esse Deo necessarij
homines impios, quia non indiget ad fines provi-
dentiae suae actionibus quibus ipsi sunt impij. Un-
de etiam colligitur, Deum ex se non præordinare,
aut velle, ut tales actiones fiant, sed permittere tan-
tum illas, non negando necessarium concursum, &
postquam prævidet futuras, illas ad penam ordi-
nare, vel occasionem maius aliquod bonum faci-
endi ex eis sumere.

Atque ad eundem modum confirmari potest
eadem veritas ex aliis locis Scripturae, in quibus
dicitur, *Deum reminem tentare,* Iacob. 1. vique ad
malum, siue ut malum est, siue ut est actus, à quo
non separatur à malitia. Hunc enim sensum præce-
dentia, & subsequenda verba manifestè postulant.
ait enim Iacob, *Nemo cum tentatur dicit, quoniam à Deo*
tentatur. At non dicuntur homines tentari, quo-
modo inducuntur, vel sollicitantur ad malitiam,
vel ad peccatum formaliter, vix enim, aut nun-
quam talis tentatio accidit, sed tentantur, quando
sollicitantur, vel inducuntur, ut faciant talem, vel
talem actum cui coniuncta est malitia; hoc ergo
modo prohibetur vnusquisque dicere, quoniam à
Deo tentatur, eodem ergo modo dicitur Deus ne-
minem tentare. Item additur ibi, *sed vnusquisque ten-*
tatur à concupiscentia sua, At concupiscentia non ten-
tat inducendo ad malitiam formaliter ut est per se
notum: quia malitia non cadit sub sensum, sed in-
clinando voluntatem ad bonum sensibile, quæ in-
clinatio de se non est ad malum cum naturalis sit;
ergo eodem modo non tentat Deus: ergo multo
minus voluntatem ad tale bonum amandum de-
terminat. Probatur hæc vltima consequentia, quia
multo maior, & efficacior esset talis motio, quam
quælibet alia tentatio, quæ ab homine, vel dæmo-
niferi solet: imò etiam, quam tentatio ipsius finet
Dei, si per impossibile per quancumque aliam mo-
tionem præuiam, vel excitationem ex parte obie-
cti, vel voluntatis à Deo fieret, nulla enim tam effi-
cax esset sicut prædeterminatio.

Sed fortè quis eludet testimonium, dicendo,
illam prædeterminationem non esse tentationem; Euasio quæ
qui tentationi resisti potest: illi autem præ-
determinationi resisti non potest. Ad hoc est

tantum uoceludere, & maius absurdum in re concedere. Nam si turpe est, & Deo indignum ita nos pramouere ad tales actus materiales, ut & resistere possimus, profecto turpius, & deformius est, ita pramouere nos ad eisdem actus, ut illi non possimus resistere præter alia multa absurda, quæ inde sequuntur, nimirum, quod vim quandam inferat Deus voluntati humanæ, ut eam facere faciat huiusmodi actus, & nihilominus eam puniat, vel quia non resistit, vel propter malitiam, quæ inde necessario resultat. Item reuera quod Deus sit prima radix perditionis hominum, contra illud Osee 13. *Perditio tua Israel ex te.* Et sequela patet, nam perditio hominis consistit in auersione à Deo, proxima autem radix auersionis à Deo est conuersio ad commutabile bonum; huius autem conuersionis prima radix est efficax Dei voluntas, & prædeterminationis humanæ voluntatis ad tale obiectum, quam Deus sola sua voluntate facit; ergo ad illam ut ad primam radicem hominis perditio reuocatur, quod abest. Quartum, ergo illa sententia est à Scripturæ locutionibus aliena, tantum nostra est illis conformis.

7. **Auctoritas** de auctoritate Conciliorum, & in primis Concilij Tridentini. sess. 6. Can. 6. damnantis, dicentes, *Non idem esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala operari, ita ut bona Deum operari, non permissiue solum, sed etiam propriè, & per se, ad id ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli.* quæ verba Diotaleus doctissimè expendit Diotaleus in cap. 7. 1. partis libri sui; notatque tres propositiones à Concilio damnatas, quibus respondent tres definitæ. Prima definita est esse in potestate hominis vias suas malas facere, in qua in primis aduerto, per vias non posse intelligi nisi actus morales hominis, quia illi sunt viæ salutis, aut perditionis, unde statim explicantur per bona, vel mala opera. Dicuntur autem esse in hominis potestate, utique libera, non præcisè quoad malitiam, sed quoad ipsos materiales actus (ut sic dicam,) imò malitia ipsa propriè, & per se non est in hominis potestate, nisi mediante actu, quia si homo faciat talem actum moralem hic, & nunc, non est in noua eius potestate facere, ut sit malus, aut bonus; ergo malitia ipsa, vel actus ut malus, non est in potestate voluntatis, nisi in quantum actus ipse realis ad quem malitia sequitur, est in eius potestate. Definit ergo Concilium actus ipsos reales, quibus homo efficitur malus, esse in hominis potestate; hoc autem non videtur posse cum prædeterminatione subsistere, quia non habet in sua potestate prædeterminationem ad bonum actum, nec etiam potest impedire quin recipiat prædeterminationem ad actum, qui sit malus, si Deus velit illam dare, neque illa posita est in potestate eius facere, quin malitia sequatur actum; quando ergo, vel quomodo est in potestate libera hominis vias suas malas facere?

8. **Secunda** propositio à Concilio definita est, *Deum non operari mala propriè, & per se, sed permissiue solum.* Contrarium autem videtur sequi ex prædeterminatione ad actus, qui sunt peccata. Iam enim supra ostensum est expositione illius determinationis sequi, peccatum non esse permissum, sed factum aut volitum; ergo multo minus subsistere poterit, quod Concilium cum exclusionem ait, *fieri permissiue solum.* Dices loqui Concilium de actu ut malo, seu de malitia ipsa, non de actu ipso materiali, alias falsa esset exclusiua, quia materialis actus, non tantum permissiue, sed etiam propriè, & efficienter necesse est à Deo fieri per generalem concur-

sum. Sed contra, quia da eodem actu malo dicit Concilium fieri à Deo tantum permissiue, de quo dixerat esse in potestate hominis, sed illud prius dixerat de ipso actu, qui per se ac realiter sit in voluntate hominis; ergo de illo etiam dicit Concilium fieri à Deo permissiue solum. Ac proinde sicut malitia non est in potestate hominis, nisi in quantum actus ad quem illa sequitur, est in hominis potestate, ita etiam malitia est tantum permissiue à Deo, quia actus ad quem illa sequitur, non est à Deo propriè, ac per se, sed permissiue solum; ergo è conuersio si actus ipse non est à Deo permissiue solum, sed propriè ac per se, etiam peccatum, seu malitia non est tantum permissiue à Deo, sed per se, & ex intentione Dei, saltem virtualiter, seu fundamentaliter. Et confirmatur, nam Concilium in illo canone, præcipue intendit sententiam Caluini damnare. Caluini autem sententia fuit, Deum esse causam per se peccatorum, quia est causa per se, & efficaciter inducens homines in illos actus reales, quibus peccant, quibusque est intrinsicè annexa malitia peccati; ergo etiam Concilium loquitur de ipsis actibus, alias non sufficienter damnaisset Caluini sententiam. Unde idem Caluinus in Antidoto circa illum canonem, licet expressè fateatur, malitiam non esse opus Dei, nihilominus sentit hanc definitionem Concilij Tridentini sibi contrariam, & idcirco contra illam obicit varia Scripturæ, & Augustini testimonia male intellecta, quæ in lib. 2. de Auxilijs latè tractauit, & infra attingam.

Nec huic definitioni sic intellectæ obstat, quod Deus concurrat effectiue per concursum simultaneum ad actum peccati, quia illa particula exclusiua *solum*, non excludit concomitantia: in ipso autem conceptu, & significatione verbi permittendi in tali materia includitur, quod Deus quantum est ex se, offerat libero arbitrio concursum simultaneum, & in manu eiusvsum illius constituat, & consequenter quod ex certa lege cum ipso libero arbitrio se determinante concurrat. Cum ergo Concilium dicit solum permissiue, non excludit hunc concursum, sed excludit omnia, quæ ultra puram permissionem Caluinus diuinæ voluntati tribuebat, quale est præordinare, & prædeterminare voluntatem hominis ad actum peccati, & per se intendere actus reales peccatorum, etiam si inseparabiles habeant malitias, & in hoc sensu damnat Concilium dicentes, Deum operari propriè, & per se mala opera, utique illa procurando, & libetrum arbitrium ad ea determinando, & per se illa intendendo, non propter malitiam, sed propter aliam naturalem bonitatem, quam habent; sic enim homo peccans per se, & propriè facit actum malum, etiam si malitiam non per se intendat, sed delectationem, vel aliquid huiusmodi; ergo si Deus per se ac directè intendit actum malum, & ad illum voluntates nostras determinat, per se, & propriè operatur illum, quod est contra Concilium.

Quod magis explicuit Concilium addendo tertiam propositionem, nimirum, *non ita esse proprium opus Dei proditorem Iudæ, sicut vocatorem Pauli,* & contrarium asserentes anathematice ferit. Videtur autem illud dogma contrarium ex physica prædeterminatione, sequi, loquendo de ipsis actibus realibus, ut iam ostendimus, loqui Concilium, & in prædictis verbis expressè declarat, agens de ipsis actionibus exterioribus. Bonum ergo opus dicitur proprium Dei, quia

quia & illud intendit, & faciat, & vt nos faciamus efficaciter, operatur: at iuxta illam sententiam eodem modo intendit Deus per se, & facit proditionem Iudæ, nam vt Iudas veller vendere, & actu venderet Christum, Deus ipse fecit, vt supra probatum est contra illam sententiam; ergo fuit tam opus Dei, sicut quodlibet opus bonum. Item sicut homo accipit à Deo opus bonum, tam propriè recipit ab illo opus malum, & sicut Paulus quoad bona opera vnicuique dicit, *Quis enim te discernit?* ita cum eadem veritate, & proprietate id dicere possumus, iuxta illam sententiam de operante malum, quia illud prius intelligunt dictum esse à Paulo propter prædeterminationem præuiam efficacem; ergo si eandem dat Deus ad malum opus, ipse est, qui discernit malè operantem à cæteris; ergo æquè propriè operatur Deus in homine malum opus, ac bonum. Vnde sicut benè operanti dicitur, *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* ita malè operanti dici potest, quid accusaris quasi non acceperis.

Dicent fortè esse differentiam, quod ad opus bonum Deus concurrat moraliter consulendo, non verò ad malum. Sed hæc differentia nec iuuat, nec est vera in aliorum sententia; si consequenter loquuntur; tum quia dicunt moralem causalitatem esse impropriam, & metaphoricam, & ideo cum Deo tribuuntur nostra opera vt propriæ causæ efficiantur propter physicam efficientiam, & prædeterminationem esse intelligendum, non propter moralem; ergo si in illa effectiōe, & prædeterminatione physica est æqualitas, illa satis est, vt malum opus dicatur, tam proprium opus Dei, sicut bonum, tum etiam, quia supra ostensum est, Deum iuxta illam sententiam non tantum physicè, sed etiam moraliter efficere opera mala, & vitia fieri, operari, quia non solum voluntatem, sed etiam intellectum prædeterminat ad tale iudicium; & præcipitando voluntatem impedit meliorem boni considerationem, et si qui sunt suadentes ad malum, ipse illos incitat, & prædeterminat, vt ita suadeant; ergo in vtroque genere est malum opus proprium Dei, non minus ac bonum.

Quod si dicant differentiam esse, quia Deus per se influit bonitatem actus, non autem malitiam. Respondemus in primis Concilium non solum loqui de effectiōe operis mali, vt malum est, sed etiam vt tale opus est, & realiter, ac verè fieri potest. Et in hoc sensu damnat dicentes, non minus esse opus Dei propriè proditionem Iudæ, quàm vocationem Pauli, vt ostendi. Deinde eito vt malitia non per se fiat à Deo, quia à nemine potest per se fieri, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 15. artic. 1. satis est, quod eodem modo quo fieri potest, æquè fiat à Deo ac bonitas seruata proportione; quia sicut Deus facit nos velle obiecta honesta, vnde nostri actus habent directè bonitatem (vt sic dicam); ita nos facit velle obiecta delectabilia habentia annexam turpitudinem, à quibus nostri actus habent inseparabilem malitiam. Sicut homo qui inducit alium hominem ad actum peccati, non minus propriè dicitur operari peccatum alterius, quamuis, qui consilium opus honestum, opus virtutis operatur. At denique licet in physico influxu in ipsam bonitatem, & malitiam intercedat aliqua diuersitas, illa nullius considerationis esse potest, aut debet in re morali. Nam, moraliter loquendo, si Deus æquè nostras voluntates determinat ad opera quæ sunt mala, sicut ad bona, tum propriè operatur peccatum in nobis, sicut opus bonum: nam si quid minus influit in malitiam, ideo est, quia illa non est capax maioris influxus, non quia propriè minus non faciat, quidquid necessarium est, vt illa sicut potest fieri, ita fiat.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

Huc accedunt verba eiusdem Concilij canone 17. *Nullos esse homines diuina potestate prædestinatos ad malum.* Et similia ferè verba habentur in Concilio Arausicano 11. cap. 25. possuntque intelligi, vel de malo pænæ, vel de malo culpæ, in vtroque habent verum sensum præsentis causæ deseruientem, nam relata ad malum pænæ, intelligi debent illa verba de prædestinatione, quæ secundum rationem antecedit præscientiam absolutam culpæ futuræ, nam post præscientiam culpæ sine dubio prædestinat Deus ad malum pænæ, & est nota ex Prospero ad 15. obiectionem Gallorum, & aliis. Hæc autem prædestinatio ad malum pænæ, cum sit ex præscientia culpæ, est ex iustitia, & ideo dici non potest esse ex absoluta Dei potestate, quod Concilia damnant. Si autem definitio illa de malo culpæ intelligatur, non est intelligenda solum de prædestinatione ad malum, vt malum est, de hoc enim nulla fuit vniquam controuersia, neque aliqui hæretici hoc asseruerunt. In hoc enim sensu tempore Concilij Arausicani, dixerunt aliqui Deum prædestinare aliquos ad malè operandum, vel ad non credendum, & similia, vt supra in vltimo Prolegomeno notauimus, & sumitur ex Prospero ad obiectionem Gallorum, & Vincentij, &c. Et eodem modo hæretici huius temporis ponunt prædestinationem ad malè operandum; ergo in eodem sensu reprobant Concilia illam propositionem. Si autem Deus in tempore prædeterminat voluntas ad mala opera dicto modo, profecto, ex æternitate prædestinauit illas ad malum, id est, ad opera, quæ sibi malitia facere non possunt, nam illa duo, scilicet prædeterminare, & prædestinare ad malum actum, sese consequuntur, vel sicut idem, vt aduersarij volunt: & ex eorum sententiis apertè sequitur.

Denique si opera hæc, quæ semper malè sunt, per se spectata adeò placent Deo, vt absoluta voluntate ex se, & ante omnem præscientiam illa præstent, & si facit vt ab homine fiant, non video, quomodo verum esse possit, quod idem Concilium Arausicanum cap. 23. dicit, homines cum hæc agunt, suam voluntatem facere, non Dei, quia id agunt, quod Deo displicet, nam reuera faciunt quod Deo placet, quando faciunt, quod Deus eos facit facere, & volunt quod Deus vult eos velle. Nec aliter volunt, aut faciunt malitiam, quàm ipse Deus, non enim per se illam volunt, aut intendunt, sed solum quatenus volunt actus, seu obiecta, ex quibus illa resultat: at hoc modo etiam Deus vult, & operatur malitiam, vt sæpè ostensum est, ergo illo etiam modo, quo homini placet malitia (si tamen placet saltem interpretatiuè), placet etiam Deo; ergo cum homo aliquid tale agit, nihil agit, quod Deo displiceat, vel certè si per aliam voluntatem Deo displicet, ipse etiam Deus agit, quod sibi displicet, præterquam quod si homines ad has voluntates, seu volitiones per diuinam voluntatem, & motionem efficacem prædeterminantur, profecto magis Dei voluntatem, quàm suam facere dicendi sunt. Igitur omnibus his modis satis, vt existimo, declaratur, quantum illa doctrina à Conciliorum sententiis ac definitionibus aliena sit.

CAPVT XLVIII.

Ex Patribus eadem doctrina confirmatur.

Quod sententia docens, Deum ex se prædefinire, & prædeterminare actus malos, iuxta Patrum doctrinam, non subsistere variis testimoniis confirmari lib. 2. de Auxiliis cap. 2. quæ nouiores Scriptores parui pendunt, dicentes, Patres esse loquutos de peccatis formaliter, non de actibus materialibus, seu realibus peccatorum. Si autem considerentur rationes factæ, quibus probatum est respectu physica prædeterminationis, vel antecedentis prædeterminationis non posse illa duo separari, profectò testimonia Patrum vrgentissima sunt, & notanda in primis sunt quæ dicunt, Deum non impellere ad furta, adulteria, & similia vitia. Nam licet demus illas voces significare peccata formalia, nihilominus homo non impellitur ad illa, nisi quatenus ad materiales actus impellitur, multo autem magis est prædeterminari, quàm impelli. Et simili modo efficacia sunt testimonia Patrum, qui negant Deum inducere, aut trahere hominem ad peccandum, nam, ut hæc sint vera de peccato formali, oportet etiam, ut de actibus ipsis, quibus peccamus, vera sint, quia inductio, & tractio ad peccandum, non fit inducendo, & trahendo ad formalem malitiam, sed ad ipsum peccatum. Vnde Damascenus dixit, hominem fieri malum propria animi, & voluntatis sua inductione, utique non Dei, sic enim docent originem malorum actuum, non in Deum, sed in ipsum hominem vltimatè reduci, quod verum non esset, si origo prima, & causa faciens non facere tales actus esset Deus, quia nos non facimus peccata, nisi faciendo tales actus, & ita sunt optima verba Gregorij Niceni in orat. catech. cap. 30. ubi postquam ostenderit vocationem Dei ad bonum de se generalem esse, concludit. Nec enim par erat vi gratia in communi proposita, si qui voluntarie ab ea abscesserit, non sibi, sed alij malam suam sortem adscriberet. Sic etiam dixit Cyrillus, non cadere hominem in expugnabili Dei iudicio. & Theodoret. neque enim Deus Cain fecit homicidam. Et ad hunc modum cætera ibi allegata satis, ut opinor, efficaciter induci possunt.

Addam vero nunc duo, vel tria testimonia. Vnum est Tertulliani lib. de exhortat. castitat. c. 2. dicentis, Non est bona, ac solida fides, si omnia ad Dei voluntatem referre, & ita adulari ad vnumquemque dicendo, nihil fieri sine iussione eius, ut non intelligamus aliquid esse nobis ipsis. Ceterum excusabitur omne delictum, si continuerimus, nihil fieri à nobis sine Dei voluntate. Quæ posteriora verba valde notanda sunt: nam loquendo propriè nihil fit à peccatore, cum peccat, nisi actus realis, malitia enim non propriè fit, sed consequitur: si autem homo non facit talem actum, nisi prædeterminatus à Deo, profectò nihil ab homine fit sine efficaci Deo voluntate beneplaciti, & prædeterminante, ergo excusabitur omne delictum. Vnde concludit nobis relicta esse voluntatem eligendi alterum, & inducit locum Ecclesiast. 15. & adiungit, Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse, & velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas cum malum volumus contra Dei voluntatem, qui bonum vult. Porro si queris unde veniat ista voluntas, qua quid voluntas aduersus Dei voluntatem, ut breuiter dicam ex nobis ipsis. Et infra, per voluntatis libertatem volens deurgere in id, quod Deus noluit. Per quæ omnia ostendit ipsam etiam

determinationem talis actus non esse Deo adscribendam, sed libertati creatæ voluntatis, cui consonant optimè verba Bernardi lib. de Grat. & lib. arbitri. Ut esset liberum arbitrium, creans gratia fecit, ut proficiat, seruans gratia fecit, ut deficiat, ipsum se deicit.

Alter locus est Ambrosij lib. 1. Exaëmer. cap. 8. Non igitur ab extraneis est nobis, quam a nobis ipsis maris periculum. Intus est aduersarius, intus author erroris, intus, inquam, clausus in nobismetipsis. Propterea tuum speculari, habitum tue mentis explora, excubias atrende aduersum mentis tue cogitationes, & animi cupiditates. Tu ipse causa improbitatis, tu ipse dux flagitiorum tuorum, atque insector criminum. Quid alienam naturam accersis ad excusationem tuorum lapsuum? Vtinam te ipsum non impelleres, vtinam non precipitares, vtinam non corrueres, aut studiis immoderatoribus, aut indignatione, aut cupiditatibus, quæ nos innoxios velut quibusdam ratibus tenent. In quibus multa expendi possunt. Primum quod ait, non ab extraneis, & nam certè si à Dei prædeterminatione incipit, lapsus profectò ab extra venit, saltem quoad primum initium est necessarium, & efficax. Vnde non haberet locum, quod subdit, Quid alienam naturam accersis ad tuam excusationem? Quæ enim rationabilior excusatio, quàm quæ ex Dei prædeterminatione sumeretur, si vera esset? Vnde quod subdit, Vtinam te ipsum non impelleres, profectò supponit à Deo non impelli, nam si homo à Deo impulsus se impelleret, quid mirum? aut cur excusabilis non est? ut aiebam præimpelli, quàm prædeterminari, nam impulsui resisti posset, non autem prædeterminationi. Et ideo etiam ait, hominem se precipitare, utique solam, & non ab alio. Item dicit, Tu nix es dux flagitiorum tuorum, utique quoad ipsos actus reales concupiscentiæ, & similes, quod inferius magis declarat, dicens, Illa cauernas, quæ ex nostra voluntate prodeunt delicta inuicunt, & irrationabiles passionis corporis. Quorum igitur nos sumus digni, horum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios, sed agnoscamus ea, quæ propriè nostra sunt, quod enim possumus facere, si nolumus, huius electionem mali nobis potius debemus, quàm aliis adscribere.

Iam verò quoniam aduersarij de Augustini auctoritate ita confidunt, ut ipsam sententiam expressam Augustini esse dicant, breuiter ostendamus, illum apertè cum cæteris Patribus, in hac veritate asserenda consentire, & immeritò aliqua eius verba in contrarium sensum detorqueri. Primum satis apertè colligitur ex lib. 1. de liber. arbitrii cap. 11. ubi docet, mentem nostram non fieri seruam libidinis à superiori mente præter iustitiam, neque ab inferiori, propter infirmitatem, seu impotentiam eius. Vnde concludit, Nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, quàm propria, & voluntas, & liberum arbitrium. Certè non fit mens serua libidinis, aut cupiditatis comes, nisi per actum ipsum realem, & inde in eo resultat malitia moralis, ergo de illo metu docet Augustinus, Deum qui per antoniamiam superior mens dici potest, non reducere nos in illam seruitutem, quod certè faceret si hominum voluntatem ad amorem delectabilium, prædeterminaret. Vnde in lib. 3. cap. 2. ex eodem principio infert. Restat igitur ut eius (id est, humane voluntatis) sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem à creatore ad creaturam conuertit: qui motus si culpæ deputatur, non est vitij naturalis, sed voluntarius, ubi illum motum, de quo dixerat non esse ex motione superioris mentis à culpæ formalitate, manifestè distinguit, cum illum ad culpam imputari dicit. Vnde infra concludit.